

- 42 Et detrahens annulum suum de manu sua posuit illum in manu Ioseph, induitq; eum vestibus bysinis, & posuit torquem aureum in collo eius.
- 43 Equitare quoq; fecit eum in curru secundi quem habebat. Clamabant autem ante eum: Abrech: & constituit eum super omnem terram Aegypti.
- 44 Adiecitq; Pharao ipsi Ioseph: Ego Pharao: & prater te non leuabit quisquã manum suam, & pedem suum in tota terra Aegypti.
- 45 Et vocauit Pharao nomen Ioseph: Zaphenath Paneah, deditq; ei Asenath filiam Potyphara principis On in uxorem. Et egressus est Ioseph super terram Aegypti.
- 46 Ioseph autem erat triginta annorum cum staret coram Pharaone rege Aegypti: egressus inquam est Ioseph à facie Pharaonis, transiuitq; per totam terram Aegypti.

EXPLANATIO.

37. **E**T PLACVIT SERMO ILLE. Tertia pars de Iosephi euectione. Non caret ingenti miraculo, quod cum rege sapientissimi Magi, superbissimi aulici attoniti sapientiam Iosephi demiratur, consilium approbant, sponteque se subiiciunt homini ignoto Hebræo seruo. Mille modis diabolus per magos atq; politicos versutos consiliũ regis eludere promptus erat, sed Deus horum cohibet ac dirigit voluntates, vt sponte velint & agant, quod eius decreto consentaneum erat. Admiremur igitur hic Dei prouidentiam. Quæ ver. 37. & 38. dicuntur, priuatim in regis consilio gesta videntur, Iosepho exire iusso. Rex consilio quæstionem de Regni Curatore proponit, nominat Iosephum suo iudicio sapientissimum, cui par in tota Aegypto reperiri non possit. Spiritũ Dei dicit pro sapientia & prudentia diuina à spiritu Dei suggesta, metaleptis causæ pro effectu. Agnoscit enima facultatem arcana & futura præuidendi, atq; in futurum consulendi tam dextre, superare ingenium humanum, nec nisi à Deo esse posse. Sic igitur concludit: Quærendus est regni curator, qui prudentia summe excellat. At par Iosepho nullus reperietur. Ergo Ioseph diligendus. Maior est v. 37. in approbatione regis. Minor est v. 38. in quæst. quæ est negãtis q. d. nullum inueniemus. Assentiuntur omnes. Sequitur cõclusio v. 10.

Monet hoc, antequam quid facias,

A consulto opus esse, virtutem quoque & sapientiam ipsis barbaris admirationi esse, ac tandem sua præmia inuenire. In Præfectis vero constituendis non gratiam aut fauorem, sed virtutem præcipue spectandam esse, & quam quis sit ad munus gerendum idoneus.

38. DIXIT ERGO PHARAO. Explicatur nunc dignitas Iosephi, ad quam eum sapientia euexit. Hæc vere magnifica fuit promotio, plures ac distinctos quasi habens actus & ritus. I. Reuocatus in consilium (quod videtur Moses tacere) à rege vt propheta diuinus & vir sapientissimus laudibus in cælum effertur summoque honore dignus celebratur: Quia, inquit, Deus tibi, &c. Ita rex profanus non tam à se, quam à Deo Iosephum extolli testatur. II. Pro regem eum designat, eius arbitrio vniuersam regiam, satrapas, Principes, Aulicos, populum, omnia denique subiiciens. Eris super domum, &c. Tantum solio maior ero. Nomen & ius regium sibi soli reseruat: C potestatem summã cum eo diuidit vel certe totam ei quasi resignat. SUPER OS TVVM OSCVLABITVR VNIVERSVS POPVLVS MEVS: Sensus est: Vniuersus populus iussa tua & imperium sponte & amanter accipiet, quasi cum osculo, quod est amoris signum. CONSTI TUI TE SUPER, &c. repetit idem clarius maioris confirmationis causa, cuius gratia etiam ritus sequentes adhibet. III. Annulum signatorium detractum de manu